



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Detestabilis Aegyptiorum potus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

arg. confumente. Illum igitur sanguinem percolatum, & ad similitudinem aqua per ductum, ob idq. tolerabilem in potu, bibebant Aegyptij.

Quam autem suavis, aut sanus fuerit ille potus, facile est diuinare. Haud utique paulo suavior, quam Charontis nectar, quod ille è Stygia haurit palude. Legimus, & audiuius sæpe, fœdissima quæque, sitis necessitate adactos homines, bibisse; aut fame urgente abominanda comedisse. Quod & Scriptura testatur, in qua ille ait: *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc, præ angustia, cibi mei sunt.* scilicet anima esurienti, etiam amara dulcia videntur. Quare percolatæ licet, tamen sanguinæ aquæ, etiam Aegyptijs necessitate quadam sapere debuerunt; neq. enim verè sapere potuerunt. Rectè igitur huius plagæ acerbiteratorem descripsit Philo, quando Nili in sanguinem descripsit commutationem, addiditque: *Idem in stagnis, fossis, puteis, fontibus, & omnibus Aegyptijs aquis euenit, ut, deficiente aqua potabili, ripas nemo peteret: & nouas venas aperiretibus, pro limpido liquore, sanguis emicaret, tanquam è vulnere. Piscium quoq. genera extincta sunt, cuncta vitali facultate versa in pestiferam; ut fœtore complerentur omnia, putrescentibus simul tot corporibus. Hominum quoq. siti enectorum magnus numerus jacebat in trinijs; non sufficientibus domesticis ad sepultura officia.* Itaque plagæ huius grauitatem, sanguis ipse significauit, & tam densa funera, ut deessent vespillones, aut, qui cadauera sepelirent.

Sensit hunc ictum Pharaon, non sensit causam, non agnouit iram Numinis. In duritie perstitit. Iustè agis cum injusto, ô Dvs. *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Hinc impatientia, querelæ, furor, atque ex ipsa medicina morbi incrementum. Fuère tamen vel istius quoque plagæ per aquas illatæ causæ æquissimæ, & iustitia cum Deo fecit. 1. *Quoniam, ut ait Philo, Aegyptij, præ cæteris rebus, honorabant aquam, tanquam rerum omnium primam, & principium; idcirco Deus eam primo ad castigandos, plectendosq. noxios adhibuit.* 2. *Quoniam Aegyptij varias execrandæ impietatis cærimonias in Nilo, celebrare consueuerant, ut ibi Apim colerent, & adorarent crocodilos, cum Deo igitur aquæ stare debebant, contra Deum adhibitæ.* 3. *Quoniam Aegyptij Nilo ipsi, ob aliarum aquarum penuriam, & plurima huius fluminis commoda, diuinos honores sacrilegè tribuerunt. Hanc causam indicans*

V.

Iob. 6.

Phil. lib. 1. de vita Moyfis.

VI.

Psal. 94.

De hoc cultu Solin. c. 35. & Plin. lib. 8. cap. 46.

Theo-